Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2833

Quelle:
Copyright:

XIX. *fol.* 164. *Eſopus.* Hoc titulo gaudent LX. illae *Fabulae* Diſtichis incluſae, quas poſt complures Sec. XV. Editiones, quarum *Brixiana* per *Bonin. de Boninis* 1489. 4. mihi objacet, repraeſentavit in *Mythologia Aeſopica Iſaac. Nic. Neveletus Francof.* 1610. p. 486. 8. inſcriptas *Anonymi Fabulæ Aeſopeae*, et in quarum Autorem, aevumque erudite non minus, quam acute, ut ſolebat, inquiſivit *Gotthold. Ephr. Leſſingius* in *Symbolis liter.* vernac. e *Bibliotheca Guelpherbyt.* I. p. 45. et continuante *J. Joach. Eſchenburgio* V. p. 45. quin tamen certi quidquam doctis Virorum curis reſponderet. Prooemium incipit:

Vt juuet et proſit conatur pagina preſens
Dulcius arrident ſeria picta iocis &c.

Et Fabula I. *De Gallo et Jaſpide.*

Dum rigido fodit ore fimum dum queritat eſcam
Dum ſtupet inventa iaſpide gallus ait &c.

Exemplum noſtrum multis locis retractatum eſt; ſaepe tamen infelicius, quam prima manus ſcripſerat, nec Fabularum ordo ſemper cum *Neveletiano* conſpirat. Fabulas *binas*, quae in *Cod.* quodam *Guelpherb.* LX. noſtras excipiunt, quasque, quod ἀνεκδοτους crederet, *Eſchenburgius Symbolis ſuprac.* p. 66. inſeruit, habes in Edit. *Brixiana* memorata, quin *Tertia* ibi adjecta eſt *De pueris Ludentibus*, verſu hexametro hiulco, quam huc adſcribere operae pretium non eſt. Ad calcem Exempli noſtri legas:

Explicit Ezopus qui ſcripſit ſit benedictus.
Finito libro ſit laus et gloria chriſto.
Anno Domini M° CCCC° XXXIII.

XX. *fol.* 194. Epitome *Decreti Gratiani* hoc initio: *Ad tocius libri decretorum pleniorem intelligentiam nota valde vtilem doctrinam infra ſcriptam. Liber decretorum diſtinctus eſt inter tres partes* &c.

XXI. *fol.* 206. Epitome Ejusdem alia metrica.

Sex iuris ſpecies monſtrat diſtinctio prima
Atque quid humanum quid diuinumque vocetur &c.

Diverſa a Carminibus illis memorialibus, quae in multis Editionibus *Decreto* praefixa ſunt.